POMPEI VGONIJ ROMANI ... DE LINGUA LATINA ORATIO. HABITA PRIDIE NON...

Pompeo Ugoni

POMPEI

VGONII ROMANI ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS,

IN PVBLICO ROMANO GYMNASIO Eloquentiæ Profeſſoris, de lingua Latina Oratio.

HABITA PRIDIE NON. NOVEMB. M D LXXXVI.

Quo die publicè docendi munus ſuſcepit.



ROMAE, Cum licentia Superiorum. M.D.LXXXVI.

Apud Ioannem Martinellum.

POMPEI

VGONII ROMANI ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS,

IN PVBLICO ROMANO GYMNASIO Eloquentiae Profeſſoris, de lingua Latina, Oratio,

HABITA PRIDIE NON. NOVEMB. M D LXXVI.

Quo die publicè docendi munus ſuſcepit.



POMPEI VGONII ROMANI DE LINGVA LATINA ORATIO.

Qvam graue, atque arduum onus hoc ſit quod ſuſcepi (*Patres Ampliſſimi, Romani ciues nobiliſſimi, cæteriq; Ornatiſſimi Auditores*) *vt in publico hoc, & florentiſſimo Vrbis Gymnaſio oratoriæ facultatis, vt pulcherrimæ omnium ingenuarum artium, ita & difficillimæ me Doctorem profiterer, hodierna luce, qua in hanc primum arenam nouus Athleta deſcendam multo vehementius ſentio, quàm ante cogitatione complecti potuerim, cum de eadem prouincia mihi decernenda, per Ampliſſimos, voſdemque de me optime meritos viros ageretur. Tunc enim eximiam omnino percipiebam voluptatem, ſi excelſum hunc, illuſtremque locum obtinuiſſem, futurum cogitans, vt cuius ſtudij ab ineunte ætate incredibili quodam amore flagraueram, id lege mihi docendi indicta ardentius amplecterer, ac tametſi nullo vnquam tempore intermiſſam, maiore tamen contentione virium, atque ardore ingenij repeterem bene loquendi diſciplinam. Quod cum ad priuatum ſtudium, progreſſionemque in literis oportunum mihi, & vtile eſſe ducerem, tum illud quoque magnopere lætabar, quòd offerri videbatur occaſio declarandi id, quod ad exiſtimationem meam plurimum arbitror intereſſe, me ex quo tempore ſcholis egreſſus ſum diuinitus ad communem gentium ſalutem excitata ſocietatis* IESV, *(quam honoris cauſa nomino) nec inertiæ, deſidiæque fuiſſe deditum; & ſi quid ſub illorum Religioſiſſimorum doctiſſimorumq; patrum inſtitutione fueram in eloquentia aſſecutus, id ita ſtudioſe retinuiſſe, vt ad hoc profitendi munus poſſem non omnino imparatus accedere. Illud poſtremo ſingulare, ac præcipuum meum gaudium erat, quod non in extera aliquo, & longinqua ora terrarum, ſed Romæ (mitto quod in Vrbe omnium principe) ſed in eius tamẽ vrbis ſinu, quæ me & genuit, & educauit rationem redditurus eſſem otij mei, vt ſi nihil laudabilius eſt, ac glorioſius, quam de patria bene mereri, huius quoque laudis particeps fierem, Romanæ iuuentuti deſeruiendo; ciueſque meos ad veteris eloquentiæ gloriam, quæ propria, ac natiua eſt noſtræ ciuitatis, inflammando. Atque hæ me hactenus cogitationes, nõ modo huius muneris obeundi cupidum (vt verum fatear) ac pene ambitioſum reddiderant, ſed alacrem adeo, atque erectum, tantaque fiducia plenum, vt ſi minus pro dignitate, at non ſine induſtria laude me officio meo ſatiſfa-*

ctūrum putarem. Nunc multo aliter experiundo rem ſe habere intelligo. Magna enim facta rerum commutatione, dum me ſuperiore hoc in loco video, cōtemplorque huius tanta, tamque illuſtris frequentiæ ora, atque oculos in me vnum eſſe conuerſos; dum ingenij, doctrinæque meæ tenuitatem cum ſuſceptæ rei magnitudine comparo, mihique vni adempta quem ſperabam conſorte, ac ſocio glorioſi laboris, porticum fulciendam eſſe conſidero; dum te Simon Cechine Romanæ Academiæ Rector vigilantiſſime præ oculis habeo, qui tam ſingulare de me iudicium feciſti, vt ſæpius cauſam meam agere, fidemque tuā pro me interponere, atque adſtringere nō dubitaris; dum quātopere mihi elaborandum, vigilādum, ſudandum ſit cogito, vt Ampliſſimorum Cardinalium qui me auctoritate, commendatione, ſuffragatione ſua adiuuerunt expectationi reſpondeam; dum tu denique animo meo obuerſaris (SIXTE V. Pontifex immortalitate digniſſime,) quem in diurnis, nocturniſque de ſalute omnium gentium curis tantus bonarum artium ardor incendit, vt nihil optatius habeas, quam vt hoc tuum Romanum Gymnaſium cum frequenti ſtudioſorū iuuenum cætu, tum nobilium magiſtrorum ſplendore illuſtretur: his equidē omnibus ita commoueor, atque perturbor, vt non modo illa prior alacritas, quæ me huc contentiſſimo curſu rapiebat refrigeſcat, ſed & animum deſpondere cogar, & ſuccumbere oneri metuam, & de abijciendis, vt dici ſolet, haſtis, prope cogitare compellar. Cæterum quia, vt militibus poſtquam militia ſacramento ſe obligarunt capitale eſt præſidio decedere, ita mihi in acie hac, in quam ſemel deſcendi conſiſtere neceſſarium duco, memet ipſe quacumque ratione potero erigam, atque excitabo, iiſque cogitationibus, quæ ſi non omnino adimere, at minuere ſaltem metum animo obiectum poſſunt, ad rem bene gerendam confirmabo. Vnum eſt autem ad omnia quæ me perterrefaciunt (Patres Ampliſſimi) præſidium in humanitate veſtra, horumque ſtudioſorū iuuenum qui Gymnaſiū noſtrum frequētaturi ſunt beneuolentia mihi repoſitū, de quibus vt tantum ſpei concipere poſſim, quantum ad me recreandum, eaque perturbatione qua pene obruor aliqua ex parte liberandum ſatis eſt; date hoc mihi hodie pignus voluntatum veſtrarum, vt ad ea quæ primo hoc oratoriæ profeſſionis ingreſſu, de beneficio orationis in nos diuinitus collato, deque latina lingua præſtantia, & eiuſdem ſtudio in vrbe hac retinēda dicturus ſum beneuolos vos, atque attentos habeam Auditores.

Principio, illud vobis conſiderandum, ac ſine vlla dubitatione ſtatuendum eſt, ex infinitis prope muneribus, quæ à præpotenti totius vniuerſitatis opifice generi hominum tributa ſunt, duo in primis excellere, Rationem, & Orationē. Nam vt illa quæ è media theologia repeti poſſent tacitus veneter: de Ratione quidem, vt in ea pulcherrimam ſui effigiem Deus expreſſerit; de Oratione vera, vt à ſanctiſſimis noſtræ religionis ducibus, in trina diuina natura hypoſtaſi pater gignens filium dicere perhibeatur, genitus filius verbum appelletur: vt illa prætercam quæ ſubtiliter de ea philoſophos diſputare memi-

indeque noſtra immortalitas comprobetur; de Oratione vero vt intra pectoris latebras conformata vox (quemadmodum me loquentem auditis) ex ore erumpat, perque aerem fuſa, & vi aciem fugientium ſimulacrorum propagata in aures veſtras ſeſe inuehat, cogitationeſque meas penitus abditas, atque abſtruſas vobis omnibus, vno tempore (quod eſt plane mirandũ) & aequaliter impertiat: his inquam omiſſis, quae partim ſubobſcura, partim altiora ſunt, quàm vt Rhetoris perſonam mihi interea gerenti ſint accommodata, certe vt non à communis vitae conſuetudine recedamus, niſi omnium humanarũ actionum Ratio dux adſit, ac moderatrix, Oratio autẽ eiuſdem accedat adiutrix, & internuncia, ecquid erit tandem in quo noſtra haec regia, & excelſa natura diuino nobis imperio ſubiectis, feris, & immanibus belluis antecellat?

An corporis vires oſtentare poſſumus, & lacertorum firmitate gloriari, & arma proferre quibus nos benigna parẽs natura muniuit? Imo vero quaſi importuna nouerca, nullum animal ita nudum, atque inerme, vt hominem in vitam hãc aerumnarum pleniſſimam, veluti in deſertam arenam proycit, nec pardis modo, & vrſis, & leonibus, eiuſdemque generis ſyluicolis (vt ita dicã) feris robore impares ſumus, ſed domeſticorum & manſuetiſſimorum animalium dentibus, & vnguibus armatam rabiem extimeſcimus. An pernicitate pedum, & curſu vincimus? Cum vel ſi Ladas, & Thalus, & Atalanta decantata quondam inter curſores nomina reuiuiſcant, ſeque cum Indico tygro, aut cane Laconico, aut equo non illorum veterum Olympicorum, ſed horũ noſtrorum Flaminia via ludorum comparẽt, longo interuallo ſint homines beſtiarum preſſuri veſtigia? An forma efferimur, & pulchritudine? Cui quãlibet in perniciem mortalium expoliendae mulierum vana inſiſtat induſtria, non modo quod inepti de illis amatores cantitant, vincant aurum crinibus, rubore roſam, candore lilium, ſed & coma iactetur in equi ceruice formoſior, & cum ornatior pauo ſit, tum inceſſu ſuperbior, & hoc denique quidquid eſt pulchritudo ſit exigui donum temporis, quod (vt Cicero noſter inquit) aut morbo deflorescit, aut vetuſtate extinguitur.

Iam vero ad illos quinque ſenſus transferte animos, quos natura hominũ tamquam ſatellites attribuit, non modo communes nobis cum beſtiis eſſe fatebimini, ſed eorum vim in illis aliquanto acriorem, vſum etiam longè meliorem reperietis. Quis porro Lynceus exiſtet tanta acie praeditus oculorum, qui, quod aquilam facere dicunt, in ardẽtiſſimo ſolis orbe defigere oculos, eiuſque vim luminis diutius ſuſtinere poſſit? Quem, aut cuſtodem in noſtris domibus, aut villicum in agro, aut excubitorem in caſtris, ita exauditus ſtrepitus commouet vigilantem, vt placide quieſcentem catellam repentinus ſonus ad latratum exſuſcitat? Cui aut aucupi vultur, aut venatori canis admirationi non fuit? quorum vterque incredibili ſagacitate narium, quem ſenſum in homine deterrimum eſſe ſcribit Ariſtoteles, ille biduo praeſentire futura cadauera, perque quingenta millia paſſuum eorũdem putorem fertur animaduertere; hic inter inextricabiles ſyluarum ambages, operta ferarum cubilia odoſticando

foricando

facinnio indeget, eaſque ex cacis, & inacceſſis latebris in lucem extrudit, & accurrenti domino ad prædam exponit? Mitto de guſtatu, mitto de tactu dicere, quibus in ſenſibus, vtpote ventri ac libidini ſeruientibus, totoque corpore in humum abiectis vſque adeo brutorum animantium genus obtinet principatum, vt qui in eorum voluptatibus, tanquam in cœno volutantur ad pecudum naturam proxime accedere, & in eos veluti quodam Circæo poculo, (quod eleganter finxit Homerus) immutari dicantur.

Quid eſt igitur quod hominem ſupra natantia, & volatilia, & terreſtria reliqua attollit? Circumſpicite quæſo omnia (Aud. ornatiſſimi,) & ad ſingulas humanæ vitæ partes aciem mentis diligenter intendite, Duo in nos, vt initio dicebamus ab artifice illo noſtro, ac parente Deo ſingularia, ac diuina munera collata reperietis; Vim intelligendi quæ in mente & ratione conſiſtit, & Facultatem loquendi, qua ſenſa mentis & cogitata rationis inuicem communicamus. Itaque quod his duobus, nobis potiſſimum inferiora ſunt ſicuti ἄλογα a græcis, hoc eſt ratione carentia, ita muta a nobis cætera animantia, hoc eſt ſermonis expertia appellamus. Quæ igitur nulli eorũ conceſſa ſunt nobilitate præclara, vtilitate magna, vſu ipſo ſpecioſa, atque iucunda, iis nos ita fruimur, vt partim rationi, partim orationi accepto referemus.

Etenim, quid tam magnificum, tãque præclarum, quàm corporeis vinculis laxatis animus, & agitatione mentis, quam græci διάνοιαν vocant, in humanarum, diuinarumque rerum contemplationem erectus? Quid tam vile quã inter infinitas aberrantis à vero vulgi opiniones, corruptaque iudicia poſſe de vnaquoque re benè ſentire, ac ſine vllo errore diiudicare? Quid tam pulchrũ, atque iucundum, quàm philoſophia duce, nunc terræ circumire globum, nunc marium ſinus percurrere; modo aeris ſpatia peragrare, modo ad ignis illius tenuiſſimi circulum lunæ proximum attolli; ſi libeat euolare altius, & totum colluſtrare cœlum, metiri orbes, dinumerare ſydera, curſus ſingulorum notare, progreſſiones, inſtitiones, interualla, obitus, vim, poteſtatemque cognoſcere? Quæ denique felicitas maior, quàm hac mole creatarum rerum mole calcata, ad ſuam redire originem, ſummique illius numinis, cuius nutu cuncta fabricata ſunt ſpectaculo perfrui, & in eiuſdem ſocietatem atque conſortium, quod ſolis perfecte datum eſt animis in cœlo agentibus, admitti? Hæc non corporis quod commune nobis eſt cum reliqua genere animantium, ſed rationis ſunt opera eximia, atque diuina, cuius originem manare de cœlo ſapientiſſimi quique dicere non dubitarunt.

Quid Oratio? Eſtne ei aliquid inter tot laudes loci? An ſicuti exoriente ſole minora ſydera maioribus radijs cedunt, ita putandum eſt lucem Orationis tanto, quantum oſtendimus fulgore Rationis obumbrari? Minime id quidẽ. Imo vero (Metuo, vt hoc non perinde omnibus ſtatim probetur, atque ipſe cogitans ſentio, ſed tamen & à doctiſſimis viris dictum eſt ante me, & res ipſa perſpecta facile vel religioſiſſimis auribꝰ ſatisfaciet) Imo vero inquã quidquid eſt in Ratione præſtabile, quidquid vtile, quidquid iucundum, quidquid

beatum, niſi eloquentiæ lumine admoto ſplendeſcat, Cymmerijs quaſi tenebris abditum latet, nec ad communem fructum præſidij aliquid, & adiumenti afferre poteſt.

Fingite hoc quod dicam (Aud. ornatiſſimi) rem ſane miſeram, atque auditu horribilem, fingite tamen hoc fieri, vt hominum vniuerſum genus de repente obmuteſcat, & dies vnus ſilentio tranſeatur: Ecquam defectionem ſolis barbara vlli genti adeo formidoloſam extitiſſe putatis, quæ cum hoc eſſet inuſitati ſilentij terrore comparanda? At mihi quidem tale quiddam fieri videretur, quale nobiliſſimi philoſophi narrant, ſi cælum aliquando conſiſteret euenturum. Tunc enim, aiunt, cæterorum quoque omnium, quæ cæli ambitu continentur, vno tempore motiones natura de ſuo curſu depulſa, ac retardata inhærere. Nihilo minus adempta facultate colloquendi hominibus inter ſe, & ſenſa mentis vicißim communicandi, omnis humana vita funditus ceſſaret penitus, ipſaque ratio, veluti obſtupefacta hæreret, atque torpeſceret. Quæ enim poſſet eſſe forma Reipublicæ, quis ſtatus ciuitatis, in qua nec taciturnus populus, Senatuſve, ſuffragio creandi magiſtratum vim haberet, nec mutus magiſtratus obedientiam à ciuibus exigendi poteſtatem? Ruerent ſane illico leges, iacerent iudicia, mores gentium obſoleſcerent, nulla improbos ſupplicia terrerent, nulla honorum ſpem præmia alerent, omne diſcrimen dignitatum, honorum, ordinum perturbaretur, tot artes ad tuendum corpus neceſſariæ, totque ad vitam oblectamenta elegantes, totque ad ornandum & excolendum animum vtiles miſeranda deleret obliuio. Quis dubitat, quin commercia, amicitias, clientelas, patrocinia, mutua officia, amoris, & grati animi ſignificationes, quibus nihil poteſt in vita eſſe iucundius, tolli prorſus neceſſe eſſet? Quis nõ intelligit futurum, vt legitima coniugij fœdera ſoluerentur, & cum liberi parentum ſæpe memoriam obliterarent, tum parentes liberos humano ritu educare non poſſent? Quin non illam ſaluti noſtræ vindicem, cuius gradibus in cœlum aſcendimus religionem, quæ docendo, monendo, diſputã de ſuſtentatur, teterrimam quandam caliginem contracturã illico animaduertis? Credo equidem ablato hominibus vſu colloquij, videre iam vobis videmini, vacua fora, deſertas curias, nuda tribunalia, muta gymnaſia, ruentia tecta, neglectas vias, deſtituta templa, adæquata ſolo mœnia, ſylueſcentes agros, & veluti denſiſſima quadam nube terris inducta naturæ totius ſpeciem immutatam.

Inter hæc, an non hominum vos maxime miſeret? Quos aſpicite (Nam Diogenis quempiam mundum, aut in ipſum mundi chaos, vt video, coniecti ſumus) aſpicite inquam homines de nobiliſſimo naturæ faſtigio exturbatos, & ad infimam belluarum conditionem, hanc vnam ob cauſam, quod muti facti ſunt repente deuolutos. Videtis ne illos, vt (quod initio mundi accidiſſe ferunt) iterum per agros fuſi vagantur, prorſus, quemadmodum Hebræus deplorat vates, cum ſtolidis & inſipientibus iumentis comparati? Videtis vt rapto viuere turpe non ducunt, & ad glandes, non quibus aurei ſæculi parſimonia contenta erat, ſed quas meliorum frugum inopia cogit appetere reuer-

tuntur?

tuntur? Scitis vero, quo cæteris ſumus animantibus imbecilliores, eo pluribus nos indigere vitæ ſubſidijs, tecto, tegumento, armis, medicamentis, opificijs, (vos reliqua addite) quibus elingues homines carere omnino neceſſe eſt, cum nec illa ab omnibus excogitari, nec ab vno perfici valeant, & ſi quid forte cuiin mentem venerit, id ſibi ſoli ægre aſſumere, alijs propter egeſtatem ſermonis impertire nullo modo poſſit. O fœdum, & crudele ſpectaculum generis humani, ſi quidem linguæ officio deſtituatur. O miſeram, atque acerbam quæ mihi ſe ſe offert hominum æterno ſilentio damnatorum conditionem. Videor cernere vnius modo, modo alterius rei inopia in tantas anguſtias deduci, vt cum inuicem quibus egent rogare non poſſint, pro articulata voce, pecudum balatus, boum mugitus, leonum rugitus edere cogantur. Videor intueri alios ita mœrore defixos vt ne veſtigio quidem commouere ſe valeant; alios contra deficiente conſilio, hac atque illac errabundos curſitare. Video quibuſdam pudorem naturæ noſtræ ingenitum cauſam eſſe, vt in latibula ſeſe penitus abdant; cerno alios non minus naturali ſocietatis amore compelli, vt non admodum profuturis cætibus congregentur. Video denique quia deeſt ſermo deeſſe omnia, ſolum abundare ſilentium triſte, ac tacitam mæſtitiam, & vberes lachrimas, quæ identidem mutui aſpectus commiſeratione renouantur. Quid hic illa domina ac Regina vitæ ratio habet interim quod agat? quod conſulat? quod prouideat? Quæ cum ſermone quaſi nuncio quodam, atque interprete ſuo orbata eſt, & ſi intra pectus cogitationes admirabiles alat lāgueſcit tamē, & ad iuuandam communem vitam penitus inutilis eſt, cum quæ profutura intelligit promere per ſe nullo modo, nec in aſpectum poſſit, lucemque proferre.

Sed, vt à Diogenico, & agreſti eiuſmodi mundo, in hunc noſtrum ciuilem, excultumque remigremus, quando munus hoc inter nos colloquendi à Deo accepimus, idque ita præclarum, vt eius beneficio, diuino humanoque iure explicata, tum ijs rebus inuentis, quibus aut corpus defenditur, aut animus expolitur, commodam, & tranquillam vitam agamus; Ecquid natura noſtra amplitudine dignius efficere poſſumus, quàm ſi hoc eodem tam excellenti bono quo cæteris homo præſtat animantibus, homines ipſos antecedere, & ſuperare ſtudeamus? Præſertim cum ad ſummas illas vtilitates, quas humana vita communis ſermo attulit tantum addat excellens eloquentia, vt qui ea præditus ſit (quemadmodum magnus orator dicebat Antonius) quaſi Deus quidam inter homines eſſe videatur? Ac ſi vllus eſt in orbe terrarum populus quem pulcherrima huius facultatis ſtudio teneri deceat; ſi Ciuitas ſi Reſpublica, ſi Regnum, ſi locus denique in quo vel ad opes, vel ad honores, vel ad gloriam diſerto oratori aditus facilis apertuſque ſit: hæc omnium terrarum domina Vrbs noſtro tali quodam fato videtur diuinitus nata, vt cum omnes belli, paciſque artes ſtudioſe ſibi complectendas putauerit, tum præcipua quadam alumna eloquentiæ, & fuerit ſemper, & eſſe debeat. Sed quoniam perfecta eloquentia, ſummaque oratoris vis multis, magniſque ſtudijs conſtat (vt in eo quem hoc anno interpretaturi ſumus libro, qui Orator inſcribitur docet Cicero) quæ velle

ſingula

ſingula perſequi immenſum quiddam, atque infinitum eſſet. ſtatui hoc primo meo ſolenni die, qui mihi huius nobiliſſimæ Academiæ fores aperuit ſeponere à toto artificio oratorio eam partem, quæ eius quaſi ſolum quoddam eſt, ac fundamentum, deque Latini ſermonis vſu in Vrbe retinendo, eu potiſſimum dicere, quæ ab hac noſtra in quam ingredimur profeſſione non aliena, & cum huius Reipublicæ dignitate maxime coniuncta exiſtimabo. Quare, & ſi hac tanta veſtra frequentia concioque (Auditores Ornatiſſimi) cuius mihi latiſſimus conſpectus hodiernum diem reddit ad omnem poſteritatis memoriam glorioſum, non vno ex genere hominum conflata eſt, Et ſi varij ordines, diuerſa ſtudia, ætates diſpares, multæ ciuitates, populi, nationes huius aulæ parietibus ſe ſepſere; quis tamen, non hanc mihi facile veniam tribuat, vt eam quæ reſtat orationis meæ partem in id argumentum deflexurus, quod eſt proprium huius ciuitatis, conuertam me ad hunc Romanæ iuuentutis nobiliſſimum florem, ciueſque meos, quos vndique intuens ex hoc loco cerno ad hæreditariam, ac quodammodo eis naturalem Latinæ elocutionis gloriam retinendam, atque amplificandam adhorter? Quamquam ego tantam in his ipſis ciuibus meis ingenuitatē, ergaq; omnes gentes beneuolentiam, & humanitatem agnoſco, vt quod à patribus factitatum legunt, vt nulli viro vel militari, vel literaria laude inſigni ius huius ampliſſimæ Ciuitatis denegarent, itidem ipſi omnes Latinitatis amatores, quacumque ex parte terrarum venerint, in ſuum libenter hodie numerum, nomenque ſint adſcripturi. Etenim quod apud veterem poetam Ennium magnifice Dux Pœnus aiebat, Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis, Quiſquis erit ciuis natus, non inſcite ad rem noſtram transferri poſſe arbitror, vt omnes qui Latini nominis, Latinæ copiæ, Latinarū artium ſtudio huc confluxiſtis, in Romanorum numero haberi merito, & poſſitis, & debeatis.

Agite igitur, Quirites, (iuuat me hoc nomen auream reuocare in vobis, quorum animos ad auitæ eloquentiæ recuperandæ ſtudium cupio inflammare) Agite inquam Quirites. Non ad Hebræorum linguam perdiſcendam vos voco, quæ quamquam eſt cum mundo nata, & propter quandam vetuſtatis religionem veneratione digniſſima, modicis tamē antiquitatis, iuriſque, & prædictionum Iudaicarum finibus terminatur. Nō per Atticum mare, aut Ionicū, cæteraque Graiorum littora pandere vela ingenij ſuadeo, quorum feliciſſimo quondam curſu prouecta eloquentia, partim Turcarum irruptionibus, tanquā aduerſis ventis agitata diu fluitauit, partim propter amiſſam fidei, Romanaque obedientiæ anchoram iam pene naufragium fecit. Non ad populare hoc idioma quod hodie in Italia viget, vt nonnulli plus nimio faciunt excolendum vos adhortor, cuius vtinam ſummam vim, ac leporem qui in eo maxime valuerunt, non in amatorijs nanijs, leuibuſque, & ingatorijs fabellis conſumpſiſſent. Non Phrygum, nō Aegiptiorum, non Scytharū, non Aethiopum vobis ſermonem propono; Quamquam horum populorum quiſque ſuum attollit, quòd eius quibuſque vocem ex hominis ore, cum primum factus eſt, erupiſſe

contendat. Hæc partim vetuſta nimis, partim obſoleta, partim vulgaria, partim barbara dicendi genera, ſuis quæque gentibus relinquamus.

Vos vero (Romani Ciues) Romanæ linguæ, quæ anmina veſtra eſt, cupiditas amorque incendat; Romanæ dictionis ſuauitati ora, atque aures aſſuefacite, quæ huius ſoli, cælique propria eſt, atque natiua; Romanam eloquentiam amplexamini, ac in ea ciuitate retinete, quæ per illam ſæpe eſt ab externis hoſtibus, domeſticiſque ſeruata; Ad eam denique dicendi gloriam pleno gradu cõtendite, cuius à maioribus veſtris impreſſa veſtigia omnium videtis gentium ſtudio, concurſuque celebrari. Nam, ſiue priſci illi Aborigines, qui his locis quæ nos incolimus ante omnes vagati eſſe dicitur, Latinum hunc ſermonem, quaſi natiuum, atque indigenam vſurparunt; Siue illum

„ Primus ab æthereo veniens Saturnus Olympo
„ Arma Iouis fugiens, & Regnis exul ademptus

in Latium inuexit; Siue ex Arcadia Euander, & Carmenta, vt literas ita & voces ad nos attulerunt; Siue Troia qui primus ab oris, ad hæc litora profugus appulit, ſtirpis pariter, Romanæque eloquentiæ ſemina ſparſit; Seu denique conditor ille, & parens noſter Romulus, finitimos populos nouã in Vrbem recipiendo, propriam quandam ex diuerſarum vocum permiſtione Romani ſanguinis dictionem elicuit, Quamcum que huic qua vobiſcum colloquor linguæ originem tribueritis; concludam (Ciues) eam opulentum quoddam eſſe patrimonium, ab auis, proauiſque veſtris, vel Dijs vt finxit Antiquitas, vel Heroibus, vel Regibus ad vos translatum, omnique à vobis cura ac diligentia tuendum, & conſeruandum.

Et quoniam natura comparatum eſt, vt patrum, à quibus genus ducimus non laudibus modo, & ſtudijs, ſed vel ipſa memoria delectemur; Referte quæſo animos ad ea ea tempora, quæ huic Ciuitati æternam gloriam pepererunt, vt quod vobis Latinam orationem in precio, atque honore haberi æquum ſit intelligatis. Non iam vos ad illud fabuloſum ſæculum Iani, ac Saturni reuoco, nec ad uerſus, Quos olim Fauni, vateſque canebant. Valeãt quoque Heroica tempora, & ex Arcadia, Phrygiaq. aduecti hoſpites ſileantur. Te parens Quirine appello, qui huius Vrbis prima in palatio fundamenta iecisti. Quã dulce eſt, & quam commouet animum, ac quodammodo titillat cogitare te tot ante ſæculis, his vocibus locutũ, quæ adhuc ſuperſtites in ore noſtro reſonant? His te infantem in gremio, ac ſinu blandiſſima nutricis Laurentiæ balbutiiſſe. His puerum Gabiis (vt ferunt) in ſcholis eruditum. His adultum, condendæ Vrbis iniſſe conſilium, condita dediſſe leges, datis legibus, non alio quam qui vigebat in Latio ſermone, magnificas cogitationes prompſiſſe, quibus Regnum tibi, ſoboliq. ex te propagata eſt ſtabilitum. Hic ſermo legationes tuas vicinis populis, & Regibus expoſuit. Hic coniugia popoſcit finitimorum. Hic bella indixit. Hic vota concepit. Hic milites ad prælia erexit, atque animauit. Hic victorias nunciauit. Hic trophæis titulos, & elogia affixit. Hic fœdera compoſuit, atque firmauit. Sic Romule loquebaris, cũ Lictores tibi circumdaret

clares, cum nomina Curijs imponeres, cum equitum Centurias conſcriberes, & centum Senatores legeres, & Patres appellares. Si quod hæc tua vox eſt, vt hi poſteri, nepoteſque tui ad eius ſtudium inflammentur, non poteſt efficere, quid erit ſpei, vt illi quæ egregia ſunt apud quaſque gentes æmulentur, cum patria, & prope naturalia bona fouere, & conſeruare detrectent?

Quare videte obſecro, pro huius Vrbis gloria, proq. veſtra exiſtimatione, & dignitate quem vobis animum Quirites, ſuſcipiẽdum putetis. Fingit quodam loco (quamquam ego id, non tam figmentum, quam documentum puto) fingit tamen poetico more Horatius, obiurgatum ſe in ſomnis à Romulo, quod oblitus Patriæ, Patriiſq; Latini, Græcos verſiculos faceret: Quãto nos eadẽ reprehenſione digniores ſimus, ſi non Græcum ſermonem, in quo certe non parua eſt dignitas & multus lepos, ſed hunc recentem Italicum, à Gothis, Oſtrogothis, Viſigothis (quæ bone Deus portenta nominum?) huius Imperij hoſtibus, ac prædonibus importatum, Latinæ orationis elegantiæ anteponamus? Nulla eſt tam barbara, tamq. agreſtis natio, quæ non proprias quaſdam ſuæ regionis laudes mordicus tenere ſtudeat, in eiſq; præ ceteris gẽtibus excellere glorioſum putet; Vos ſingulari Dei munificentia, terræque ex qua orti eſtis prærogatiua omnium quæ ſub cælo perſonant linguarum pulcherrimam nacti, iacere apud vos illam, atque è manibus elabi patiemini? Maiores veſtri orbis terrarum domini, cum omni & Vrbana, & Bellica gloria abũdarent, id quoque in ſuarum laudum parte ponebant, non minus Romani eloquij, quam, Imperij terminos amplificare, quod & deducẽndis per orbem coloniis, & ea lege aſſequebantur, quæ cautũ erat, ne exterarum gẽtium legati in Senatu aliter quam Latine dicentes audirentur; vtq; etiam in Græcia, & Aſia coram Romano Magiſtratu Latinum interpretem alienigenæ adhiberẽt, quo ſcilicet (vt Valerij verbis vtar), Latinæ vocis ſonus, per omnes gentes venerabilior diffunderetur: Vos qui non modo magnum illud, ac longe lateq; patens imperium varijs & luctuoſis temporum caſibus perdidiſtis, ſed (quod non ſine peracerba quadam animi mei ſenſu ac dolore dico) vix exiguam antiquæ Reipublicæ, ac libertatis ſpeciem retinetis, quanto id ſtudio eniti conuenit, vt hanc ſaltem Latinæ eloquentiæ poſſeſſionem, quæ nulla fortunæ iniuria eripi, ſola deſidia, & negligentia amitti poteſt, tamquam paternam, ac legitimam hæreditatem cõſeruetis? Ariſtoteles bonis alijs ſtudijs in Lyceo occupatus, cum Iſocratem aperuiſſe Athenis Rethoricæ ludum, ex quo clari oratores exiſterent animaduertiſſet, æmulationis ſtudio repente incenſus, in illud ex Philoctetæ carmen prorupit, Αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν, Turpe eſſe inquiens ſe tacere, & Iſocratem pati dicere. Vos cum tam multos, non dico Italos, ſed cum tot Gallos, tot Hiſpanos, tot Germanos, tot Sarmatas, tot Britannos Romanæ eloquentiæ fama celebres volitare videatis, quo tandem animo eſſe debetis? Illi quæ veſtra auita, natiua, domeſtica, propria laus eſt, vt ad ſe transferant, nullum defugiunt laborem; Vos eandem huic Vrbi aſſerere ac vindicare negligetis? Impreſſas maiorum veſtrorum veſtigijs vias illi aſſidua

terunt, vos quantum in vobis eſt vacuas, ac deſertas relinquetis? Et cum illorum multi, propter aſperam, aut horridum, aut inflatum, aut mollem, aut denique peregrinum vocis ſonum, ad ſummum eloquentiæ faſtigium aſpirare vix poſſint, ad eam tamen concitatiſſima curſu feruntur; vos quibus non modo manſuetius ingenium à natura datum eſt, ſed & dulcis, ac iucunda vox, & ad omnem vim pronunciandi cum gratia quadam, & dignitate flexibilis ſonus, propria natura bona fauere, ac poſitam in medio eloquentiæ palmam eripere dubitabitis? Ergo Alienigenæ Latiũ in vltimarũ deferent ſola terrarũ, nos illud in ipſo Latio requiremus. Illi vere Quirites, & huius Vrbis ciues, nos hoſpites, & inquilini appellabimur. Illi denique, Craſſorum, Antoniorum, Hortenſiorum, Ciceronum, Brutorum exiſtimabuntur digna progenies, noſtrũ ergo ad Arimaſpas, ad Gerymas, ad Manos, ad Attilas, et Totilas referetur. Videte, videte Ciues, ne non tam exteris nationibus pulchrum ſit Latinas literas patria Regno exulantes, gymnaſiis, tectis, templis, foris; & cum priuatis cœtibus, tum publicis conuentibus excepiſſe, quam turpe vobis illas in qua nata ſunt Ciuitate retinere, vel non potuiſſe, vel noluiſſe.

Sed quid ego natiui ſoli vobis, & domeſtici exempli tantum faces admoueo? nec ad alia, quæ non minus vos, vt arbitror inflãmare poſſunt, celeriter propero? Nam quanti illud eſt, quod etiam ſi hæc terra Latium non diceretur, neq; hæc illa Roma eſſet, ex qua Latinæ orationis opes, & ornamenta, tanquã ex Oceano flumina, ad cæteras gentes profluxerunt, nihilo tamen minus contenderem, hanc eſſe conditionem huius Ciuitatis, vt in ea florere in primis eloquẽtiam, non quamcunque, ſed hanc Romani oris propriam, atque germanam eſſet neceſſarium? Attendite quomodo agam (Auditores ornatiſſimi), et quantum cauſa mea confidam animaduertite. Non ſit hæc Roma illa, quam augurato Romulus ædificauit, quæ Latinam linguam peperit, aluit, prouexit, illuſtrauit, ex qua illa foro, & curiæ lumina prodierunt, Gracchi, Catones, Cæſares, Hortenſij Cicerones; ſit quæpiam vrbs alia, vel vltra montes, vel trans mare poſita, eam tamen quoniam eu ſint ciues, tribus de cauſis à vobis magnopere conſiderandis, Latinas literas expetere, atque ad ſe vltro accerſere, & acerrimo ſtudio complecti debere. Cedo mihi, quæ hæ ſint cauſæ dicet quiſpiam? Nihil moror, perpendite ſingulas: Quia, hæc eſt Vrbs communis gentium Patria, quia Caput orbis terrarum, quia ſedes, & domicilium Religionis. Hæc tria ſunt quæ cuicunque ciuitati deſint, hoc manente rerum humanarum ſtatu efficietur, vt ſine Latinæ orationis, & eloquentiæ præſidio commoda, dignitatemque ſuam tueri non poſſit.

An vllus poteſt eſſe locus, ad quem vndique ex omni parte terrarum fiat gentium, populorumque concurſus, in quo tam diſtans, tamque varia multitudo coaleſcere in vnum corpus, & quietam, tranquillamque vitam agere valeat, niſi communis cuiuſdam ſermonis vinculo colligetur? At quis hic ſermo poteſt, vel commodius, vel omnino eſſe alius quam Latinus? Etenim quod nulli tam multarum linguarum accidit, quotquot homines diuiduntur in ter-

tis, hoc ſingulari quodam fato, diuinaque prærogatiua Latinæ linguæ conceſſum eſt, vt à pluribus iam ſæculis à ſeptemtrionibus ad meridiem, & ab oriente ad obeuntem ſolem ſit propagata.

,, De conducendo loquitur iam Rhetore Thule.

Magnum ſibi quiddã dixiſſe videbatur ſatyrarũ ille nõ illepidus ſcriptor, quòd in inſula trans Oceanũ Britannicũ ſemota, & earũ quas ſui temporis Romani noſſent vltima, Romanæ eſſent eloquentiæ reſerata gymnaſia. Quid ſi vidiſſet, quod ætas noſtra noui orbis inuentrix vidit, ad Indos, ad Indas iaquã illos qui aduerſa cõtra nos vertunt veſtigia, quo nec Alexãdri phalãges, nec Romana ſigna penetrarunt, Romanas literas, & voces ſeſe protuliſſe? Ergò, ſiue ex oppoſita illa mundi plaga, qua nulla poteſt eſſe longinquior, ſiue è propioribus terris pedẽ in hanc Vrbem exteræ inferãt nationes; præſto eſt cõmunis gentium interpres, atque internuncius ſermo Latinus, à quo origine, linguis, ingenijs, moribus, colore, veſtibus, armis, omni denique re diſſimiles mortales, cum comiter excipiantur, tum vnius, & eius quidem pulcherrimæ locutionis ſocietate, quaſi publica quodam & ſacroſancta fœdera copulentur. Quod ne quis forte recenti aliqua ſæculo nitium habuiſſe ſuſpicetur, audita quid iam inde à Veſpaſianorũ Cæſarum tẽporibus, Plinius ille Naturalis hyſtoriæ conditor teſtatum reliquerit.

Terra (hanc vrbẽ intelligit) terra omnium terrarum alumna eadem, & parens, numine Deum electa quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum diſcordes, feroſque linguas, ſermonis cõmercio contraheret ad colloquia, & humanitatẽ homini daret; breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.

Hic igitur ſermo eſt, qui venientes à Cæſaribus, & Thetrarchis, & Populis legatos ad Chriſti Vicarij pedes oſculandos admittit. Hic ſancta vniuerſo generi hominum iura hoſpitij violari, atque intermitti non patitur. Hic errantem alienigenam in viam reducit, & rei neceſſariæ inopia implicatum conſilia expedit. Hic iniuria affectum ſiſtit ad tribunalia, & à iudicum auribus non repulſum lætum dimittit. Hic mutui commercij conſuetudine, diuerſarum gentium inuicem bona communicat. Hic denique in optabilem illum, beatumque ſtatum nos quodammodo vindicat, quo ante temerariam Babylonicæ turris molitionem, nondum linguarum diuinitus facto diuortio, vetuſtiſſimi mortales vno colloquentes ore fruebantur. Quæ cum eiuſmodi ſint, ſi illis Roma titulis ornari vult, vt Communis patria, vt Alumna terrarum, vt Gentium domicilium, vt Mundi compendium, vt Theatrum generis humani, vt nouus denique quidam Microcoſmos appelletur, proculdubio retinendus illi Latinus ſermo eſt, cuius præſidio communem hanc vniuerſi orbis ſocietatem tueatur.

Præſertim cum hæc eadem Vrbs (vt ille inquit,) terrarum Dea ſit, ac Domina, & communi nationum, ætatumque plurimarum ſuffragio, mundi iampridem caput fuerit nuncupata. Nam cæteris priuatis, & minus ampli no-

muis ciuitatibus, ſi quid ad ſummam gloriam deſit, facile ignoſcas: ab illa vero, quæ ſe Reginam, caputque cæterarum profiteatur, excellentem quandam omnium laudum præſtantiam nemo non poſtulet. Quod ſi has ad laudes peruenire ſine Latinæ orationis notitia, aut omnino non poteſt, aut quod in re morali perinde habetur, difficillimè poteſt, quis dubitet, quin quanti Populus Romanus maieſtatem, amplitudinemque ſui nominis æſtimat, tam ſit ei pugnandum pro his eloquentiæ ſcholis, & ſtudijs in Ciuitate nō modo conſeruandis, verum etiam ornandis, atque amplificandis? Nulla eſt ars, ſiue pacis, ſiue belli; nulla actio, ſeu priuata, ſeu publica; nulla virtus, vel tam magnifica, & glorioſa, vel tam ſpecie humilis, & popularis, cuius non Romana hiſtoria pulcherrimis exemplis abundet. Hæc quia Latinis literis ſunt conſignata, florere illas in hac Vrbe neceſſe eſt, non modo (quod dici ſolet) ne in patria peregrinari videamur, ſed vt ijs omnium moribus atque inſtitutis informemur, quæ digna ſunt Ciue Romano. O præclaram conſuetudinem huius Reipublicæ, vt in arce illa Capitolina, ad menſam Conſularem Titi Liuij eloquentiſſimi Romanarum rerum auctoris Decades legantur. Sciant hoc cæteræ gentes, quæ ab ortu ſolis, ad occaſum pertinent. Ita profecto ratiocinabuntur, manere adhuc Romam, non inane, ac tumidum nomen, ſed Vrbem priſcæ virtutis, & auorum gloriæ æmulam. Quorſum enim illa adhibetur inter epulas lectio coram ſummis Magiſtratibus, niſi vt ad ea quæ leguntur imitanda, exſuſcitentur audientium animi, atque erigantur? Magnificum aliquod Romuli facinus enarratur; Pudet degenerem tanti conditoris nepotem videri. Offert ſe oculis Horatius cum tribus Albanis fratribus manus conſerens, aſtuque diſſimulatæ fugæ victor, Nil generoſo animo, & virtuti arduum exclamamus. Spectatur Mutius foculo errantem dexteram inijciens; Ea flamma, non tam illam manum, quam pectora noſtra incendit. Proponitur Cocles in ponte ſolus, quem dum à tergo reſcindi iubet, in fronte acies ipſe ſuſtinet Hetruſcorum; Ad audacter pericula pro patria ſubeunda excitamur. Redire ſoſpitem per eaſdē vndas decepta hoſtium cuſtodia Clœliam intrepide videmus; Mulieris imitari audaciam virile ducimus. Quid illa? quibus gloriæ ſtimulis animos concitāt? Curtij Vorago, Coſſi Spolia, Manlij Torquis, Valerij Coruus, Bruti Secures, Sicinij Corona, Atilij Aratrum, Fictilia Fabritij, Reguli Dolium? Quid memorem Deciorum Vota, Currus Metellorum, Scipionum Titulos, Marij Conſulatus, Pompeij Victorias, Catonum Spiritus, Cæſaris Triumphos, Laureas Auguſtorum? tot tantaque, quibus pleni libri, pleni faſti, pleni lapides veſtri ſunt Quirites? Dies me, imo vero anni, & ſæcula deficiant, ſi quæ à maioribus veſtris, theatro gloriæ, famæq; præconio digna geſta ſunt, recenſere ſingula, & perſequi oratione contendam. Sed tamen hæc illa ſunt, propter quæ Roma, & eſſe, & dici cœpit caput orbis terrarum, cuius tituli dignitatem vt ſuſtinere poſſit, ea ipſa imitetur neceſſe eſt, per quæ illam eſt conſecuta; Imitari niſi legendo ſæpius recolat non poteſt; Ea vero recolendi commoditatem Latinæ literæ præbent, per quas Populi Romani nomen extat, eiuſque illuſtria

facta

facta æternitati ſunt cōmendata. Latinæ igitur literæ cognoſcēdæ, vehemēterq; adamāda à vobis, Romani ciues, & maximo in pretio, atq; honore habēdæ ſunt.

Extremum illud eſt vt quoniam in ea vrbe viuimus quæ ſedes, ac domicilium Religionis à Deo Optimo Maximo eſt conſtituta, hanc quoque vel maximam cauſam putemus, ob quam ad Latinam elocutionem animum appellere, eiuſque venuſtate, & elegantia orn excolere, ac perpolire debeamus. Hic ego ſi dixero, Latinam linguam ſingulari quodam diuina prouidentiæ conſilio ex æternitate electam fuiſſe, quæ in primis Religioni noſtræ propagandæ, atque illuſtrandæ deſeruiret, vereor ne aut plus ei laudis impertire exiſtimer, quàm nonnullorum opinione mereatur, aut nimis alte, ac longinquè orationem repetere videar. Me vero hæc veſtra (Ampliſſimi, Doctiſſimique Patres) corona quæ mihi propius ſub oculis lucet, hortatur, vt & inaudita fortaſſe ante hunc diem his humanioribus ſcholis proferre non dubitem, & vos longa audiendi moleſtia defatigatos, iam terram aſpiciens concitato remigio, & amplioribus quaſi velis explicatis, in portum deducā. Animaduerti enim ſanctiſſimos viros, qui Chriſtianam legem aduerſus impias gentium opiniones ingenij doctrinæque viribus tutati ſunt, omnium quæ ſub cælo fiunt cauſas in Deum referre ſolitos, tantumque diuinæ prouidentiæ tribuere, vt ne folium quidem ex arbore decuti, ſine eius nutu, atque imperio conſtanter affirment. Apud hos legere memini, cum vnigena Dei filius ſeruandi hominis cauſa, in hanc exilij noſtri vallem deſcendiſſet, ab eoque de cælo allatam doctrinam diſſeminari oporteret, admirabili quodam diuinitatis cōſilio effectum, vt vniuerſæ tunc temporis ſub vnius Imperij ditione reperirentur nationes, quo in vnam ſocietatem, atque commercium toto orbe terrarum reuocato, liber eſſet ex vna in alteram prouinciam fidei præconibus tranſitus; neue (vt Origenes ait,) ob multiplicem, & varium principatum, propterque diſcrepantes inter ſe gentium mores ſi nulla eo inuicem conuenirent, grauius eſſet Apoſtolis exequi, quæ à CHRISTO in mandatis habuerant, vt irent, & docerēt omnes gentes. Et ſi enim Chriſtianorum natio, non multa poſtquam cæpit exiſtere, in flammā incidit ſæuitiæ Cæſarum, ac tyrannorū, eaque tamquam aurum igne probata eſt, vnius tamē ille Imperij ſtatus, quē Μοναρχίαν Græci dicunt, illa Iani foribus clauſis Auguſta pax, illa Romana libertas procul dubio, vt Pauli Oroſij verba vſurpem, & aduentui Chriſti eſt famulata, & ventura eius gratia, Euangelijque præconio fuerat diuinitus præparata. Quis ergo Latinum ſermonem, qui per ea tempora ita regnabat, vt diſcordes omnium gentium linguas (quemadmodum apud Plinium legimus) in vnum contraheret, non maximo Chriſtianæ Religioni vſui, & adiumento fuiſſe fateatur? Nam, & ſi hoc humano præſidio duodecim illi ad omnes gentes à Chriſto miſſi legati non indigebant, quorum ora diuini ſpiritus face afflata quocumque vellent idiomate reſonabant; valuit tamen ijs, qui cum cæleſti igne tacti non eſſent, quæ ab Apoſtolis didicerant, alijs communicare nitebantur; valuit ad famam quandam popularem, inter variarum regionum mortales ſurgentis tum nouæ re-

ligionis

ligionis diſpergendam; voluit denique conſequentibus temporibus ad oſtendendam Euangelij lucem, cecaſque quibus circunfuſe erant omnia falſorum numinum tenebras diſcutiendas. Ac illud quidem cæleſte verbum è mente intelligentis patris mirabiliter ab omni æternitate genitum, quod vtero Dauidicæ Virginis infuſum, tum cum ei viſum eſt mundo apparuit, an eorum triginta, ac trium annorum ſpatio, quam ætatem apud nos egit, in Latinum quŭdoque ſermonem diuinum os ſoluerit, quia à nemine eſt memoriæ proditum definire non audeamus. Illud ſilentio præterire nullo modo poſſum quod ad ſingularem quandam, nec ita peruulgatam veſtram gloriam, Romani pertinet, Latinam linguam, & à naſcente, & à moriente Christo ſacroſancti ſui nominis inſcriptione fuiſſe conſecratam. Conſecrata eſt à naſcente eo tẽpore, quo cum edicto Cæſaris vniuerſum genus humanum cenſeretur, ipſe quoque recẽtiſſimus eius flos nomen dedit, quod relatum in tabulas Romanorũ multo ante forſitan in hac Vrbe lectum eſt, quàm vt ex ea, eiuſdem infantis cæleſti virtute ſciretur falſorum Deorum ſuperſtitionem eſſe pellendam. Ex quo illud vobis item, Romani, honorificum, & glorioſum, Auguſtini diſcipulus Oroſius colligit, cum veniſſet in terras Dei filius huius potiſſimum Vrbis eſſe voluiſſe, dicique debere merito, & fuiſſe Ciuem Romanum, cenſus profeſſione Romani. Iam vero acerbę illius quidem, ſed ſalutaris mortis tempore, quis ignorat eaſdem Latinas literas ſanctiſſimæ Crucis titulo fuiſſe conſecratas? Quem cum deleri, aut auferri inuidia æſtuans Hebreorum populus efflagitaret, vt quod ſcriptum fuerat firmum, ac ratum maneret Romano ore pronunciatum eſt. Nimirum, ne hoc quidem fortuito ac temere, ſed Deo Procuratoris prouinciæ linguam moderante, quia ſicut eius tituli confeſſione Regium Chriſto nomen aſſerebatur, ita eiuſdem Chriſti Regnum, Romana auctoritate Deus ſtabiliri, Romanæ linguæ inſtrumento amplificari, atque illuſtrari volebat. An hoc cuiquam dubium eſſe poteſt, qui meminerit duo illa lumina, & firmamenta Chriſtiani Imperij Petrum, & Paulum ad hanc potiſſimum Vrbem inſtinctu diuino percitos aduolaſſe, à cuius ceruicibus Tartareæ ſeruitutis iugum deijcerẽt, quamque, & inani Iouis, ac Martis, ſimiliumq; laruarum metu liberarent, & ad vnius veri numinis cultum, ſpe propoſita immortalitatis excitarent? Quæ ſi præſtiterunt, vt diſrumpantur licet impuriſſimi veritatis hoſtes probatiſſimorum auctorum teſtimonio eſt confirmatum; Ecquã illos oratione legationem ſuam obiſſe cenſetis niſi Latina? Vos Foro, vos Curia, vos Emporia, vos Circi, & Theatra, vos via Oſtienſis & Vaticana, vos denique Romani vici, colleſque omnes appello, quæ loca circumeundo liberatores huius Vrbis ſuera Euangelij luce compleuerunt. Tu Roma teſtare Latinè illos locutos, cum Chriſtum ad cælum ferrent; Latina vi vocis igneas Simonis Samaritæ quadrigas diuinitus diſieciſſe; Latino ſermone apud Claudium, & Neronem cauſam egiſſe Chriſtianæ profeſſionis; Latina eloquentia denique trãduxiſſe ad Chriſtum plebeyos tribus, equeſtrem ordinem, Senatoriam maie-

ſtatem.

ſtatem. Hoc ſtatus illorum temporum, hoc loci conditio, hoc populi cui confi-
lebatur aures poſtulabant, vt cum in omnium gentium linguas Apoſtolorum
ora ſacer ſpiritus aperuiſſet, Romæ tamen Latine in primis concionantes au-
direntur. Quare Romanæ fidei famam, cuius tam præclarum Paulus edit teſti-
monium, vt eam apud omnes gentes celebrem volitaſſe ſcripſerit, ex hac Vr-
be Regia Latini præcipue ſermonis miniſterio in omnes longe lateque terras eſt
deportata. Floreat igitur in hac Ciuitate, quæ princeps eſt ac magiſtra Reli-
gionis Latinæ linguæ eloquentia, quæ Religioni ſemper eſt fideliter, conſtanterq;
famulata. Si antiqua nouæque legis diuina volumina non perire neceſſarium
ducitis, huius voce maxime integra, atque ab omni falſitatis ſuſpicione tecta
conſeruantur. Si veterum Chriſtianorum illuſtria facta cognoſcere exoptatis,
Latinis monumentis cuſtodiuntur. Si reconditioris Chriſtianæ Theologiæ aſ-
ſequendæ deſiderio flagratis, Latinorum patrum commentationibus eſt illuſtra-
ta. Si morem maiorum, ſi vera Pontificum, ſi vetuſtatem Ceremoniarum, ſi San-
ctiones conciliorum, ſi hæreſum abrogationes non ignorare cupitis, Latinam
linguam ducem ſequamini neceſſe eſt. Per hanc latæ leges, defenſa Religio, hæ-
reſes condemnatæ ſunt. Hæc exempla virtutum memoriæ prodita ſunt poſte-
ritati. Hac in omni graui Senatu atque conuentu dicuntur ſententiæ. Hac
ſacra rite celebrantur. Colat hanc Latina, vndequaque omnes Eccleſiæ literæ,
quarum nomine decoratur. Colat communis fidei Magiſtra Roma eum
ſermonem, qui earundem quibus ipſa fides regionum ambitu continetur. Imi-
temur veteres illos Chriſtianæ Reipublicæ principes; quorum in ſcriptis non mo-
do incorruptam Latini purique ſermonis conſuetudinem cernimus, verum
etiam ſingularem eloquentiam, omniaque clariſſimorum oratorum ornamen-
ta, & lumina admiramur. Nam quis non in Hieronymo copiam Ciceronis? Nõ
in Cypriano candorem Cæſaris? Non in Auguſtino Liuij lacteam vbertatem
agnoſcit? Quis Ambroſio neruoſior, atque concinnior? Quis Leone grauior,
& magnificentior? Quis Bernardo ſuauior atque floridior? Quanta in Gre-
gorio lenitas? Quanta vis in Arnobio? Quantus cultus, & ornatus in Lactan-
tio? Hos ſpectate Ciues nobiliſſimi, Horum veſtigijs inſiſtite, Ad hæc vos
exempla componite. Cætera fortaſſe gentes, ſi minus rem Latinam curent,
alienæ laudi inuidere noluiſſe videbuntur. Vos niſi pulcherrimam linguæ aui-
tam, atque hæreditariam poſſeſſionem conſeruetis, atque augeatis, non tam il-
lam ſpreuiſſe, quod ipſum iniquum eſt, quàm vobis met ipſis, & patriæ quod
plane eſt impium defuiſſe videbimini. Patria enim, patria ipſa ad vos manus
tendit, læta illa quidẽ, vt par eſt, tanta felicitate temporum, qua SIXTVM
QVINTVM Pontificem videt; ſed eo magis ſollicita quod illi cum im-
menſum quiddam, atque infinitum debeat quemadmodum gratiam referre
poſſit non videt. Sentit ſe onere beneficiorum apprimi, ſicariorum metu libe-
ratã, pacis luce perfuſa, aucta vijs, ornata ædificijs, irrigata fontibus, obeliſco-
rum molibus in cælum ipſum inſerta, frugum vbertate recreata, locupleta-
ta ærario, munita legibus, exculta literis ſacris amplificata: quacumque ſeſe
ipſa

ipſa circumſpicit Iuſtitia, fortitudine, vigilantia, liberalitate, magnificentia, religione Optimi Principis, in nouam quandam aurei ſæculi ſpeciem reſtituta. Hæc Roma agnoſcit, & eum cui illa debet miratur, ſuſpicit, adorat. Sed ingrata videri metuit, cum tantorum magnitudini meritorum nullo poſſit officio ſatisfacere. Faciãt, inquit, faciãt ciues mei; SIXTO ſtatuas ponãt, SIXTVM titulis ornent, SIXTI nomen poſteritati commendent. Latinam in primis linguam, Latinam eloquẽtiam colant, quæ immortales eius laudes ab obliuione, & ſilentio vindicent. Dicant modo Iuſtitiæ Vindicem, modo Fundatorem Quietis, nunc Mæcenatem Literarum, nunc Reſtitutorem Religionis, Patriæ Patrem ſemper appellent. Non deerit illis dicendi campus, non ſeges gloriæ. Nam nec SIXTO ſtudium, & ardor præclara, & laudabilia faciendi. Has ad dulciſſima parentis voces, quin commouemini Romani Ciues? Videtis, vt hæc Muſarum ſedes, noua ædificij mole conſurgit, vt optimis inſtitutis ad antiquæ diſciplinæ normam reuocatur, vt vndique delectorum excellentium Profeſſorum luce ingenij, atque doctrinæ illuſtratur. SIXTI hæc ſunt dona Liberalitatis, Prouidẽtiæ cõſilia, Caritatis erga vos, & beneuolẽtiæ monumẽta. De quo equidem nunquam dicere defatigarer, cum publico, tum priuato ei nomine obſtrictus, niſi præfiniti mihi ad dicẽdum temporis cancelli, me iã egreſſum viderent. Quare vt finem dicendi faciam, cum cæteris quæ à modo dicta ſunt, non parum vos permoueri æquum eſt, tum hæc, qua oratio mea terminatur Pontificis Optimi Maximi erga ingenuas artes propenſio animi, atque benignitas, maximopere vos incitare debet, vt Latinas literas huius Vrbis proprias omni vobis ſtudio complectendas, ornandas, atque amplificãdas putetis. Vos (Patres Ampliſſimi) qui quamquam grauiſsimis Reipublicæ curis diſtenti, hunc tamen vobis diem, ad me præſentia veſtra luce decorandum ſumere voluiſtis (cuius equidem beneficij memoriam ex animo meo excidere nunquam patiar) Pergite, vti facitis, fauere literis, animare ingenia, habere honorem eloquentiæ, vt huic ſtudioſæ iuuentuti oculos in vos ſæpius defigenti calcar, atque incitamentum ſitis ad ea ſtudia perſequenda, quorum præſidio, & magnis honoribus aucti eſtis, & maiores indies, Deo, boniſque omnibus approbantibus conſequemini.

FINIS.

DIXI.

ROMAE, Ex Typographia Vincentij Accolti.
M D LXXXVI.

B
1034.15

690698

1034.15